3

# EPISTOLA

## AD CLERUM

A TAUR. ECCL. VICARIO GEN. CAP.

## KALENDARIO APPOSITA

ANNI 1865.

TAURINI — Excudebant HÆREDES BOTTA.

# IOSEPH ZAPPATA

SACRAE THEOLOGIAE DOCTOR COLLEGIATUS
METROPOLITANAE TAURINENSIS ECCLESIAE CANONICUS ARCHIPRESBYTER
OFFICIALIS ORDINIS SS. MAURITII ET LAZARI
ET SEDE ARCHIEPISCOPALI VACANTE
VICARIUS GENERALIS CAPITULARIS

---

*Ven. in Christo Fratribus*
*et in Sacro Ministerio Collegis,*

Ecce tertio venio ad vos, V. F., quos in Christo enixa charitate diligo, ecce tertio venio ad vos sacrae quotidianae Liturgiae rationem et ordinem exhibiturus, eaque prorsus grata occasione de regno Dei aliquid vobiscum collocuturus. Deus omnipotens et misericors servulum suum benigne pertulit, servavit, et ne per eius imbecillitatem quidpiam detrimenti Sancta Taurinensis Ecclesia pateretur, tum potentiae, tum pietatis suae praeclaram in eo ostensionem fecit: vos autem, O. F., indesinenti zelo, collatisque viribus, et curis pro gloria Dei, hominumque salute constanter, atque strenue decertantes mirabili eius providentiae obsequentes adlaborastis. Ecce tertio coram vobis, atque vobiscum benedico Deum coeli, qui fecit nobiscum misericordiam suam, et coram omnibus viventibus confiteor illi. Vobis autem quid? Vobis de rore coeli det Dominus benedictionem, atque meam hanc sincerissimam deprecationem, ut in omen auspicatissimum pro imminenti anno suscipiatis, rogo. Quoniam vero vos alloquendo ipsum, si Deus dederit, sum inchoaturus, quae de praestantia Officii Divini, deque studio illud quotidie digne et utiliter recitandi anno elapso, ne nimius evaderem, praetermisi sollicite vobis enuncio. De re gravissima, prorsus sancta, quam in animo, et in corde, et in votis quotidie vobis alte inesse pronunciatis, quantum per

exiguas vires licuit, accurate agere sum adnisus, vobis, quaeso, sermo meus arrideat, atque ita arrideat, ut eum non modo humaniter accipere, sed et integre et attente legere non dedignemini.

Quam praeclara, quam praestans, O. F., Divinum Officium Deum adorandi, ac laudandi, Deum precandi, ac supplicandi ratio! Quam opportuna et efficax ad omnis boni salutaris effectus consequendos! Et quam merito Ecclesiae viris in sacris Ordinibus constitutis de praecepto imposita! De praecepto quidem, ut enim D. Carolus adnotat, ubi de canonicis horis in sacris canonibus agitur, sic dicitur, *praecipimus districte, et in virtute sanctae obedientiae*, ut Divinum Officium quantum Deus dederit, devote, et studiose persolvatur. Quae autem protinus suis de clero addebat sanctus Antistes, vestrum Frater amantissimus addo et ego, *vos qui estis theologi scitis quam verba illa vim habeant: praecipimus, et districte, et in virtute sanctae obedientiae.*

Ecquid, Fratres, Divinum Officium? Quae eius, ut ita dicam, elementa? Quae partes, quibus coalescit, quorum vocabulis pronuntiatur? Cuius nam nomine, quorum uniti consortio, atque suffulti suffragiis illud Deo O. M. persolvimus? Singulis attendamus.

Davidis psalmi, a quibus psalmodiae vocabulum, eius, ac prophetarum cantici, carmina scripturarum primam veluti ac praecipuam Divini officii partem constituunt. Principaliora utriusque Foederis historica fragmenta psalmis intertexta eos mirum in modum intersecant, et intexunt. Illa autem fragmenta potissimum delecta, et inserta, in quibus grandiora Divinae tum sapientiae, tum potentiae, tum bonitatis erga humanum genus opera, ac veluti monumenta per divinitus afflatos auctores descripta mirifice emicant. In iis ea potissimum, quae mirabilem Divinae providentiae aeconomiam erga electum populum exhibent, atque ea speciatim ex utroque Testamento capita, et loca excerpta, atque suis temporibus horis canonicis interiecta, quae

nostrae Reparationis per Divini Verbi mysteria aut in antecessum praenunciata per prophetas, aut per evangelistas post eventum historice descripta portentosum opus referunt. Quotidie in Divino Officio brevis aliqua evangelica lectio sanctorum Ecclesiae Patrum sapientissimis, ac saepe etiam elegantissimis commentariis aut enucleata, aut exposita. Hinc et verba, sententiae, eloquia, quibus Divinum officium constat, contexitur, verba, sententiae, eloquia maxima ex parte Hagiographorum sunt aut ad litteram ex libris biblicis exarata, aut ab Ecclesia in antiphonis, versiculis, capitulis diversimode, ac perbelle adinstar optimi vermiculati emblematis concinnata.

Quam praestans, V. F., Deum adorandi atque laudandi ratio, qua ipsum sedentem super solium excelsum et elevatum, eius maiestatem, eius ineffabilia attributa, eius infinitas perfectiones, ipsius tum ad intra, tum ad extra actiones, inscrutabilia, divinissima illius mysteria per accuratissima, sublimia, grandia Hagiographorum verba, et eloquia in illius laudem, et gloriam celebramus, atque benedicimus!

Quid est autem orando principaliora Dei opera commemorare, creationis opus immensum, humanae reparationis Mysterium Divinae pietatis trophaeum insigne, cetera eius potentiae prodigia, nisi ipsum in suis operibus benedicere? Quae Dei sublimia opera narratione historica in prosaicis libris descripta legimus, ea in Davidicis psalmis emphatice, eleganter ad modum oratoriae, aut poëticae narrationis divinitus exarata Deo solemniter decantamus: Quis sublimiorem, digerioremve Dei adorandi, atque in aeternum laudandi modum excogitare poterit? Quia per oblationem Eucharisticam rerum omnium sensibilium excellentissimam Deo in latreuticam adorationem offerimus, omnium excellentissimum Sacrificium Eucharistiam agnoscimus ac profitemur; quoniam opera Dei mirabilia per sacras horas in eius laudem convertimus, nonne earum digna recitatione Deum sacrificio laudis, ut nobis est in praecepto, omnium optimo honorificamus?

Cuius autem nomine talis oratio? Non nostro sane exiguo,

atque pauperculo, sed et in privata recitatione, nomine Ecclesiae totius, sponsae scilicet Agni immaculati, Ecclesiae quam sibi Christus suo sanguine acquisivit, quam adeo dilexit, et diligit. Quasi pastores ovibus, quasi patres filiis circumsepti, iis divinae praesentiae donum adprecantes, atque ab ipsis vicissim pari omine salutati quam digno, atque magnifico veluti apparatu, quodque satius est, ipsi accepto Deum quotidie precamur? At parum nobis est in militanti, et cum militanti Ecclesia Deum Omnipotentem collaudare, quasi nos pigeat in terra incedere, per quotidianae psalmodiae officium fere in aera levamur, almae Sionis aemuli, quae coelitum semper resultat laudibus, illis canentibus adiungi nitimur, iisque veluti admixti Regem Coelorum, et Dominum dominantium alternantes atque melos dantes vocibus adorare contendimus. Et quoniam non aliis verbis, aut eloquiis utimur, sed per ipsissima eorum verba, elogia, canticos et carmina in Divino officio Domino benedicimus, qua ratione Caelites nostram dedignarentur societatem? Cuius vero praestantiae, ac meriti oratio Caelitum meritis, et sanctitate nobilis? At ipsos quoque Angelos et Archangelos, Sanctos, coronas de virginitate candidas, vel de passione purpureas gestantes Horis canonicis veneramur eorum merita recolentes, frequentissime sanctorum omnium Reginam speciali cultu, ac veneratione prosequimur: quid hoc est, Dil., nisi Deum in Sanctis suis mirabilem praedicare et extollere, nisi prodigia, gratiae, quae omnium splendidissima sunt iterum, atque iterum in laudem, et eius honorem celebrare?

Quis vero nostrum Orationum, quibus horae singulae concluduntur praestantiam, concinnitatem, genium, ut ita dicam, non miretur, in quibus brevissimo verborum circulo nunc Divinis attributis, nunc beatorum meritis praememoratis omnigena beneficia implorantur?

Quae demum singulis anni temporibus, singulis diei horis nobis in ordine naturali Creator Omnipotens bona contulerit, et quae nobis imploranda maneant, opportune nobis horae

ipsae commemorant; quod vero opportunius, quae graviora diversis horis pro nobis Christus tormenta protulerit iuxta notissimos versus in mentem quotidie reducunt.

Matutina ligat Christum, qui crimina purgat,
Prima replet sputis, censum dat Tertia mortis,
Sexta Cruci nectit, latus eius Nona bipartit,
Vespera deponit, tumulo completa reponit.

Atque haec utinam illud efficiant, ut grati animi ergo, atque ad eorum memoriam pressius, et utilius celebrandam, quantum liceat suo ordine, atque horis propriis orationem adeo ex omni aspectu praestantem persolvamus.

Praestantiae Divini Officii par opportunitas et efficacia ad quaelibet impetranda Divinae tum potentiae, tum effusissimae bonitatis beneficia. Ex praeiactis id sponte dimanat. Ecquis preces vivaciores, quis formulas Deum deprecandi praestantiores vel iis efficaciores condere, vel tantum excogitare potuerit, quibus prophetae, quibus divini scriptores, quibus David, quibus Redemptor orare consueverunt, ac dona quaelibet implorare? Ipsissimis eorum verbis Deum in horis canonicis exoramus, atque eorum affectibus deprecamur. Decentia, quod adeo interest, ore ipso Hagiographorum indubitanter petimus, ex instituto Ecclesiae petimus eiusque nomine, uti superius advertimus, imploramus. Ad id, ut quod exiguis nostris meritis non valemus Beatissimae Dei Genitricis patrocinio, Sanctorum multiplicato piissimo interventu consequamur, eorum quotidie memoriam recolimus, eorum opem piissimam invocamus. Tot praesidiis communitam precem, quis non efficacissimam reputaverit? Urgeat nos, F. D., Christi charitas, urgeat nos proximi dilectio, eiusque salutis zelus, gaudebimus, iterum dico gaudebimus adeo salutaris officii nos fuisse a Deo ministros constitutos; nil praetermittendum curabimus ut de gloria Dei, de hominum salute tam efficaci praesidio optime mereamur.

Verum nonnullos adhuc, V. F., si oportuerit pausa inter-

iecta, quotidianae psalmodiae salutares effectus attingamus. Per eam, ut innuimus, integram fere utriusque foederis historiam intra annum recolimus, grandiora Dei opera et prodigia, quibus vera religio innititur, ac demonstratur, reparationis opus, atque mysteria in mentem revocantur, quodque adeo interest, sanctorum Ecclesiae patrum verbis accuratissime exposita, ac definita: psalmi, ac sapientiales libri, illi scilicet omnium virtutum, sublimium moralium axiomatum uberrimi fontes, evangelici textus, morales patrum sermones quotidie alternatim veluti, psallentis menti occurrunt, seseque sistunt. Quam salutaris opportuna, mira prorsus Ecclesiae institutio, ne sacerdotes, cuius labia scientiam tam necessario custodire debent, ab ea paulatim excidant, ac summo omnium malo quamprimum sufficienti careant dogmatum, ac morum sapientia! Proh sancta et salubris institutio, qua sancti ministri Domini si scientiam custodierint sapientiores fiant! Attenta Divini officii quotidiana recitatione talem sibi thesaurum, dicam practicum, rerum, verborum, sententiarum, axiomatum divinorum efformabit sacerdos, ut eo mirabiliter quasi naturali, atque spontaneo eloquio uti valeat in concionibus, in tribunali poenitentiae, ad aegrotantium curam, in quolibet sacro munere ad mandatorum Dei observantiam promovendam, ad peccatorum detestationem excitandam, ad omnigenae virtutis actus efficaciter insinuandos. Quidquod nonne fere in proloquio est, ac fere in omnium asceticorum ore sacerdotem per Divini officii dignam recitationem sanctificari? Ipsi mentalis, ipsi vocalis quotidiana sua psalmodia oratio est.

Revera, F. O., qui fieri poterit ut sacerdos tot quotide divina eloquia pronunciet, tot Hagiographorum in Deum elationes recolat, totidem eorum vocabulis variarum virtutum, et maxime in Deum amoris actus eliciat, tot sanctorum exempla, et merita celebret, tot inflammata in Deum corda quotidie miretur, quin paulatim, quin serius ocius cor eius in Deum inflammetur, et ardeat, quin pari virtutum et sanctitatis desiderio flagret, quin evadat in virum perfectum? Ponite, Dile-

ctissimi, Sacerdotem omnium virtutum exercitio conspicuum, sanctitate splendidum, ponite Divino amore flagrantem, summo zelo, mira charitate, nullis parcens sive curis, sive laboribus in omnes ad eorum salutem praeclaros eos faciet effluere fontes.

At non ne quotidiana haec nostra oratio paulo prolixior aequo, et aequo tantillum onerosior dici poterit? Eccur saltem Ecclesia non intra limites saltem commendatissimi consilii consistere maluit, sed eam viris in sacris ordinibus constitutis de praecepto indixit?

Bona fide, universali experientia teste ea nemo vestrum, O. F., dixerit. Quotidianam, prout est psalmodiam nobis Ecclesia de praecepto imposuit, atque id quidem a primis usque saeculis; qua autem sapiens, et pia mater est onere ne tantillum quidem nimis gravi ministros suos, videlicet suos praedilectos filios gravare aut voluisset, aut potuisset. Nimis prolixa, vel onerosa dici nequit oratio, in qua nil superflui deprehendi potest, in qua nil prorsus, quod sibi proprio salutari effectu careat. Nimis demum prolixa neque onerosior precandi ratio haberi debet, quae adeo notabilem adhuc diei partem sive ad cetera sacra munia, sive ad temporalia negotia, sive ad honestam recreationem liberam nobis dimittit.

Quia vero etsi non nimium, at aliquantulum prolixa oratio Divinum Officium est, hac ntique de causa iterum et praestantem, ac merito, et laudabiliter sacris viris iniunctam agnoscamus oportet. Illud alte tenendum orationis officium specialiori prorsus ratione prae laicis ex religiosi nostri status conditione nobis incumbere: orationis praeceptum certe omnes Christi fideles afficit, at vero laicis specialis sui status officium et obligatio non est, utiqne vero ecclesiasticae professionis et vera est, eaque gravissima obligatio. Publicam scilicet, atque solemnem quamdam orationis formam Deo tamquam cultus tum interioris, tum exterioris actum adhibendam esse in eius adorationem, ipsa recta ratio omnes edocet, uti in theologicis institutionibus evincitur: explicito

autem positivo eius praecepto Deo laudis sacrificium homines immolare tenentur, eum laudis sacrificio honorificare (*). Atqui sacrorum ministerium, Deo dante, V. F., nostrum est; nos ad id a Deo constituti sumus, ut dona et sacrificia offeramus pro hominibus: immerita prorsus, at excelsa, ac certe veneratione digna status nostri conditione, nostrum est Divini cultus actuum, sacrorumque rituum exercitium, hinc vhae nobis, nisi in iis, quae Dei sunt sedulo, et efficaciter ipsi fuerimus. Gravissimi nostri muneris est non verbis tantum, sed et exemplo cum ceterorum Dei, et Ecclesiae mandatorum, tum illius nominatim, *orate, ut non intretis in tentationem*, observantiam totis viribus promovere: qua ratione nisi per protractioris orationis opus, et constans, imo et visibile exercitium data opera, et ex professo tanto muneri Ecclesiae ministri satisfacient? Quia propter nos homines, et propter nostram salutem Christus Dominus venit, et habitavit in nobis, erat pernoctans in oratione Dei, et orando intentum continuo eius discipuli deprehendebant: quia pro Christo se legatione fungi oportere noverant apostoli, plura dimiserunt in diaconos pia, ac religiosa ministeria, ut ipsi orationi veluti ex officio instantes essent: qualiter pastorum primaevae Ecclesiae prolixius orandi consuetudini inter gravissima persecutionum pericula primi Christi fideles sedulo diu, noctuque participarent, novimus: utique Divinum Officium, quia paulo prolixior oratio, in plures partes dispertita, atque diei variis horis applicita illi adeo grandi, ac gravi nostro muneri obeundo proportionata, et apta invenitur, sapienter, opportune, ac merito nobis ab Ecclesia indictum fuisse nemo inficiari poterit.

Quoties, Dilectissimi, contingere potest, ac revera contingit ut religiosi viri integros dies, etiam plures, vel maximam eorum partem coram laicis, cum ipsis, in eorum societate agant, v. gr., in itineratione suscepta, in honesta cum amicis,

(*) Psal. 49, v. 14 et 23.

aut notis commessatione, in autumnali rusticatione penes familiam honestam? Si cernant laici Ecclesiae virum notabilem diei partem horis suis canonicis devote vacando sanctificare, si eum videant identidem a sociis, a profana conversatione in partem secedere, ut dimisso hominum colloquio Deum alloquatur, vix ac ne vix quidem tam praeclari sacerdotalis exercitii salutares effectus aestimari, aut numerari possunt: Homo Dei, homo orationis appellatur, ipse in omnium benedictione est, omnium amorem atque reverentiam sibi comparat: in eo, atque in eius precibus suavissimam ceteri spem reponunt, quasi per eius merita, orationes et vota divina tum temporalia, tum spiritualia beneficia sint consecuturi. Eu diurnae nostrae psalmodiae dignissimas laudes.

Illud autem fateamur, ac pace nostra Dil. ingenue fateamur, pro humana fragilitate, qua necesse est, et religiosa corda laborare, prae summa facilitate sibi in caussa propria nimium indulgendi haud satis efficaciter Divini Officii recitationi, eiusque praestantissimis effectibus reportandis mero consilio ut ut commendatissimo Ecclesia consuluisset: impotentiae moralis excusatione admissa vero ac proprie dicto praecepto fortiter, ac suaviter humana infirmitas roboranda erat.

Quae cum ita sint omnia, eo ne lubenti, ac pio animo, quo aequissimum est, canonicas horas persolvimus? iisne tum internis, tum exterioribus dispositionibus, quae earum merito, et nostrae obligationi respondeant? iisne, quas decet orationis magistros, quibus Christi fideles ad orandum tanto zelo, ac totis viribus impellere nitimur? Ita quidem mira, ac prorsus docili voluntate Divini Officii muneri adhuc iuniores Ministri Domini sollicite satisfecimus: et si quis ad aurem nos vellicando dicere tunc nobis ausus esset, haec tuae pietatis alacritas non durabit, summo nos moerore afficiendo ad indignationem nos temeraria iniuria incitasset. At nonne forsitan infelix vaticinium plus minusve infelicior exitus confirmavit? Nonne pro ea humanae naturae infirmitate, qua ab

assuetis iam nulla fit passio, pro ea conditione, qua procedente tempore cuncta in homine attenuantur, pristinus ille fervor, pristina illa pietas plus minusve deferbuerunt? Sanctam illam, atque opportunissimam precem *Aperi Domine* matutino quotidie praemittimus, atque etsi de praecepto non sit, nemo unus, qui ob reliquas etsi graves, et multiplices occupationes, vel ex impatientia illam praetermittat; in ea atque per eam tum sinceram Divini Officii digne persolvendi voluntatem ostendimus, ad id opem Divinam imploramus. Deus decentia petentium votis non deest, at nonne forsitan illud saepe contingit, ut iam amplius non sit in corde quod sit in ore? Ad haec qualiter Divinum Officium sit persolvendum, breviter adhuc in mentem revocemus, ut perseverantiae propositum eliciat, qui Deo dante, se hucusque laudabiliter canonicas horas suo merito recitavisse comperiat: errata corrigat, ita dicam O. Fr. sine mora, qui sibi nonnulla excidisse forte deprehendat.

ATTENTE primum, idest mente, intellectu, ad ea, quae ore pronunciantur applicito non tam docendo, quam admonendo omnes AA. autumant, quanto iure utrumque? *Non edocendo*, ecquis enim nesciat attentione subtracta potioris hominis partis operationem excludi, atque elementum, ut ita dicam vitale humanis actibus, proindeque precibus ore prolatis subtrahi? Attamen admonent, ne quae agenda noscimus negligamus, ne id nobis funestissimum contingat video meliora, deteriora sequor. Attentione subtracta mera vociferatio materialis meriti prorsus incapax erit persolutio Divini Officii, nonnisi aes sonans, vel cimbalum tinniens quotidiana psalmodia, nullo modo Deo acceptum sacrificium laudis, impar omnino praenotatis salutaribus suis effectibus producendis. Qua insuper ratione attentione deficiente quanta in Divino Officio doctrinae capita occurrunt, ac perleguntur psallentis, et lectoris mentem instruere, atque illustrare poterunt, quae praesens non est, neque audiens, sed profuga, et alibi vagans. Nihil est in voluntate, nihil in corde, aiunt, memineritis O. F., Mo-

rum Doctores, quod non fuerit in intellectu: eo per attentionis defectum absente, qua ratione Cor in Deum per oracula divina inflammabitur, atque inardescet? Totidem biblicae lectiones, atque sententiae, quae innumeros, eximios omnium virtutum actus constituerent in pretiosissimum qnotidianum meritorum augmentum, deficiente animae, ita dicam, concursu, a qua elici, ac procedere actiones hominis debent, mera et inania virtutum simulacra evadent. Qua de causa nonnullis ingrata, atque molesta, tum onerosa adeo videtur psalmodia? Ea potissimum ratione, quod nihil scilicet in ea eos delectet aut recreet, aut alliciat. Unde vero haec fatuitas? *Fode parietem;* eo quod ob defectum attentionis quae sublimia, quae grandia, quae prorsus divina legunt, vel decantant neque percipiunt, neque advertunt, quae tamen paulisper attenta suaviter adeo mentem afficerent, ac delectarent.

Verumtamen attentio, intellectus applicatio non sufficit. Diligenti etiam attentione aut psalmos, aut orationes legimus, et iterato legimus, et ore pronunciamus, nemo tamen id orationem fundere dixerit, neque revera quis dicit, quoties id fieri contingat eo unico fine ut discantur, vel memoriae mandentur. Hinc insuper DEVOTE horas canonicas recitandas nemo dubitat, idest devotionis ergo, seu ex voluntate in Deum devota: hoc in suo esse orationem constituit, hoc in Deum, eiusque gloriam, atque ad fines sibi proprios eam mirifice ordinat: Hoc proinde sive in intentione, sive ita dixerim in executione locum habeat: in intentione quidem, quatenus Divini Officii persolvendi voluntate illud suscipiamus, in executione vero quatenus in id enitamur, ut ex humili in Deum corde, affectu et pietate procedant, quae in eius laudem et gloriam ore pronunciaverimus...

Hoc est quod sollicite omnino, variisque loquendi modis, at unanimiter alte adeo commendatum novimus ab Ecclesiae patribus, morumque Doctoribus quoad Divinum Officium, illud scilicet ipsissimum, quod et ipsi patres, et fere ad omnem paginam implicite, vel explicite sacrae litterae ad

dignas, et acceptabiles orationes Deo fundendas innuunt. Quare ne illud sane dolendum nobis contingat ut dum labiis Deum honoremus, cor nostrum ab eo longe sit, « hoc versetur in corde, aiebat S. Cassianus, quod profertur in ore... psalmorum affectus in nobis recipiamus ita incipientes decantare, ut eos non tamquam a prophetis compositos, sed veluti a nobis editos, quasi orationem propriam profunda cordis compunctione depromamus... quum immolatur hostia laudis iungatur sensus verbis, affectus sensui, exultatio affectui, gravitas exultationi. D. Augustinus vero, si psalmus gemit, gemere inculcat, si oret, orare, si gratuletur, gratulari, si speret, sperare, timere, si timeat. » Absit tamen, V. F. ne vos in scrupulos, vel anxietates coniiciam, hinc ne dimittatis rogo, tum attentionem, tum devotionem virtualem, uti D. Thomas, et cum eo scholastici docent, omnino sufficere, animi involuntarias evagationes, etiam diuturnas utpote excusabiles orationis merito nil detrahere, verbo aliud esse, uti loquebatur D. Bernardus etsi alia de re verba faciens, culpare negligentiam, aliud negare efficaciam: quae omnia, ni fallor, indicare voluit Mediolanus Antistes suis illis superius adductis verbis, *quantum Deus dederit Divinum officium devote et studiose persolvatur.*

Reverenter praeterea idest exterioribus reverentiae indiciis, et actibus quotidianam psalmodiam perficiendam fore a Doctoribus admonemur; hanc alii devotionem externam appellant, quam in negativam et positivam distingui posse censuerim, illam collocando in absoluta, ac sedula abstinentia ab iis omnibus loquendi modis, et corporis actibus, et indecoro habitu, qui cum Divini Officii dignitate et sanctitate pugnent, positivam vero in ea oris, et corporis compositione, quae orationi congruat. At haec per se patent, atque ne unus quidem, qui de necessitate exterioris devotionis in Officio Divino recitando dubitet, eccur tamen penes auctores de reverentia specialis admonitio? D. F. non sine gravi speciali ratione: eo quod admodum facile sit paulatim procedente tem-

pore nobis indulgendo in hoc plus, minusve peccare, et deficiente reverentia tum attentio, tum devotio et ipsae facile deficiant: eo quod reverentiae sive negativae, sive positivae defectus dum canonicae horae persolvuntur graviora scandala, et mala creant prae ipsis attentionis, et devotionis defectibus. Siquidem non modo in publica et solemni psalmodia, quae fit in choro, sed et in privata vix, ac ne vix quidem fieri potest ut conspectum, et intuitus laicorum evadere possimus, parentum, familiarium, amicorum, famulorum vel paucorum, vel plurium praesentiam declinare omnino non possumus. Ne illud, Fratres, Christi Domini, hac in re adeo opportunum dimittamus *trabem in oculo tuo non considerans festucam in alterius oculo vides:* Si viderint laici haec vel illa, maxime si alicuius momenti habita ratione intuentium, irreverentiae, seu indevotionis exterioris signa, quae non immerito ipsius etiam interioris devotionis defectui facile assignabunt, animo concident, vhae nobis, grave scandalum non effugient, in fide sua haud leves patientur tentationes, spe concident, ab orationis affectu, et exercitio se retrahi sentient..... Nescio, quae mala non sint pertimescenda quoties aut iocose, aut irreverenter, et quasi per comtemtum de suo Divino Officio vir Ecclesiae loquitur, aut illud visibiliter evagate prorsus, corpore incomposito, vel nimia celeritate, quae certe et ipsa irreverentiae rationem habet, persolvere non erubescit. Sed haec attigisse sufficiat.

Ut reverentiae in Divino Officio satius Ecclesia consuleret plura prorsus opportuna constituit circa ordinem, circa tempus, quoad locum, et modum singulas horas, ac diversas, et singulas earum partes, speciatim in solemni psalmodia servanda, quae rituum nomine designantur, quaeque liturgici pro opportunitate commendant, quum Divinum Officium RITE persolvendum admonent.

Quatenus, quibus in adiunctis, quousque in eorum rituum observantia praesertim in psalmodia privata Ecclesia benigne indulgeat, Ven. F. apprime novimus. Nimio semoto

rigore, at qua nos decet optima fide, salutaribus Ecclesiae mandatis, ac praescriptionibus, quantum nobis per vitae, et curarum adiuncta liceat obsequentes, ac dociles sedulo, ac sollicite nos haud pigeat exhibere: DIGNE (quasi hoc uno vocabulo omnia, et singula ad id necessaria complectendo) Divinum Officium persolvisse nobis licebit in Domino tranquille confidere, atque laetari.

DIGNE Venerabiles Fratres, Digne quantum per vires liceat, quantum Dei, eiusque Ecclesiae causa ferat, quantum ad eorum gloriam, atque prosperitatem hominumque salutem praesentia ferant rerum, ac temporum adiuncta Divinae psalmodiae nobilissimum munus exequamur. Digne, atque in dies Dignius cum Angelis, et Archangelis, cum inclyta eorum Regina Augustissima Dei Matre ac virgine Sine Labe concepta, cum Sanctis, omnique militia caelestis exercitus quasi ante thronum Divinae Maiestatis admissi Divinas Domino Laudes persolvamus in terris expectantes beatam spem, et adventum Domini, quo ei Sanctus, Sanctus, Sanctus, et hosanna cum eo beatissimi decantemus in coelis; coelum, et terra transibunt, vota, ac desideria nostra non peribunt. Illud enim nobis praestabit, Dilectissimi, Dominus noster Iesus Christus, cui est, atque sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

In Domino valete.

Taurini, die XXIII decembris 1864.

CANONICUS ARCHIPRESBYTER IOSEPH ZAPPATA
VICARIUS GENERALIS CAPITULARIS.